HIERONYMI DONATI ... APOLOGETICUS AD GRAECOS DE PRINCIPATU...

Girolamo Donati



CLEMENTI SEPTIMO

PONT. MAX.

PHILIPPVS DONATVS.

S. P. D.

Hieronymus Donatus pater meus, ſi non admodum amplam mihi fortunarum hæreditatem, non exiguam tamen inter cæteros huius ætatis uiros nominis ſui celebritatem reliquit, quam ſibi ipſe cum Remp. optime gerendo, tum aliquid ſemper erudito homine dignum ſcribendo, peperit. Hæc enim duo ita coniunxit, ut nec domi, nec foris unq̃ ſtudia optimarum artium intermiſerit. Inter cætera uero monimẽta tum ingenii eius & doctrinæ, tum pietatis, extat libellus hic de principatu Romanæ ſedis. Quem quum in Creta inſula Reip. Venetæ nomine, ſupremum gereret magiſtratum, græce primum ſcripſit, deinde quum quartum Romæ legationis munere fungeretur, latinum fecit. Quanq̃ autem is liber ad reprimendam Græcorum inſolentiam conſcriptus fuerit, pari tamen ratione ad confutandam illorum impietatem plurimum ualet, qui noſtris temporibus authorita

tem Romani Pontificis imminuere conati sunt. Ostendit enim Romanam Ecclesiam, cui tu merito praees, diuina authoritate principem locum obtinere. Qua de re & si alii multi fortasse nimis multa scripserunt, ualde tamen opportuna hoc tempore mihi uisa est huius opusculi aeditio, quod authore iampridem uita functo, prodeat in lucem, cuique obiicere aduersarii non possint, quod in gratiam Romani Pontificis conscriptum sit. Huius autem libelli stylus & character non is est, quo in orationibus & epistolis uti solebat, luculentus uidelicet ac perpolitus, sed aequabilis potius ac temperatus, quali se de industria usum in tradendis iis, quae ad religionem pertinent, quod saepissime praefatur. Amant enim haec nostra Christiana simplicitatem quandam orationis, neque possunt eloquentiae corpus excipere, aut si possunt, non debent. quaedam etiam nobis occurrunt explicanda, quae quum apud ueteres in usum non fuerint, nouis ea uocibus significare necesse est, nisi uelimus cuiusdam grammatistae deliramenta, & ineptiolas imitari, qui dum in exprimendis rebus nouis, uetusta uocabula, & priscas elocutiones exquirit, id agit, ut minime intelligatur, ueluti quum deiectum e Pontificatu quempiam significare uult, eum redactum in ordinem dicit, quum tamen multi e Pontificatu deiecti fuerint, qui postea in ordine summorum Antistitum non fuerunt, aut quum forte illud ex

plicandum occurit, legatos obstrinxisse se Pontifici Maximo parituros in iis, quæ ad religionẽ spectãt, eos se ad authoritatem Pontificis Maximi contulisse scribit, quod tamen ab altero longe diuersum uidetur. Sed hæc illi uiderint, quibus abunde otium suppetit. Reliquum est, ut libenti animo hunc libellum accipias, qui nunc primum tuo felici auspicio in lucem prodit. Nam quum quinto ante anno librum de processione Spiritus Sancti contra Græcos a patre scriptum in Græcia Leoni Decimo Pont. Max. patrueli tuo dederim, dicauerimq;, obseruantiæ in familiam uestram, pietatiq; erga te meæ consentaneum fuit, ut te quoq; munusculo aliquo donarem ac uenerarer. Nullum autem munus magis te dignum uidebatur, quã quod ad tutelam religionis & ad maiestatem Romanæ ecclesiæ pertineret. Aequum enim censui fore, ut quemadmodum tu omni ope eniteris corruptos Christianorum mores ad pristinam integritatem reuocare, pacem inter Reges constituere, Christi hostes delere, ita præclara hæc tua studia eruditorum uirorum laboribus adiuuentur. siquidem non parum ad communem concordiam facit, animorum consensio in iis, quæ ad religionem attinent, nec quicquam potest caput ad beneficium corporis conferre, nisi cætera membra conspirent. Quamobrem exoratum te uelim Clementissime Pont. ut quum grauis-

ſima negotia, quæ ſuſtines, pauliſper intermiſeris, libellum hunc perlegas, tuoq; plauſu & fauore non indignum cenſeas. Lætabuntur enim parentis mei manes, ſi perſenſerint hos labores, quos pro dignitate Romanæ Eccleſiæ ſuſceperat, tanto Pontifici non ingratos fuiſſe. Vale.

QVISQVIS ES, SIVE IMPRESSOR,
ſiue Bibliopola, caue libellum hunc,
alioſue quoſlibet in Franciſci Minitii
Calui officina libraria primum excu/
ſos, excudendoſue, intra proximum
decennium uſpiam gentium impri/
mas, uel ab aliis temere forſan impreſ
ſos uendas. hæc enim ſeueriſſimo edi
cto uetuit bonarum artium fautor Cle
mens. VII. Pont. Max. quique ſecus fe
cerint, eos non modo in ſingula uolu
mina denis aureis multari, uerum &
Chriſtianorum commercio, atque
aqua, & igni interdici uoluit.
Vale, & uide, ne inuidus negotium
tibi faceſſas, bene memor nullam
ESSE SCELERVM IMPVNITATEM.

HIERONYMI DONATI DE PRINCIPATV ROMANAE SEDIS AD GRAECOS.

CHristus saluator noster apud Lucam Euãgelistam de fidei perfectione differens, in parabolis suo more nos docuit, quo pacto posset fides inconcussa persistere, dicens eius ædificium, quod ex auditu uerbi, & functione operis constat, super Petram fundari oportere, ut nullius irruentis fluminis impetu possit concuti, quia sine fundamento sit, quicquid aliter super terram, aut arenam struitur, in quod impetum fecit fluuius, & confestim cecidit, & facta est (inquit) ruina domus illius magna. Quod præuidens idem ipse Saluator, qui ad reparandam, instaurandamq; generis humani cladem, formã serui accipiens se ipsum exinaniuerat, ad ædificãdam fidelium ecclesiam omneis quidẽ Apostolos, sed ipsum in primis Simonem Bariona ex piscatura piscium ad piscaturam hominum conuertit, & subinde mutato nomine Cephan, idest Petrum appellauit. neq; tamẽ sic appellasse contentus est, sed eodem contextu sermonis grande mysteriũ appellationis explicuit, non iam in parabolis, aut ænigmatibus, sed nudis uerbis:

atq; apertis, & sensu apertiore concludens, tu es, inquit, Petrus, & super hãc Petram ædificabo Ecclesiã meam, uulgatum elogium, & tritum uulgo ad explicandam sedis Apostolicæ prærogatiuam. sed petra hæc ex recta coniectura nihil aliud est, quam fides illa quam Paulus Apostolus asserit esse ex auditu, per uerbum Christi in euãgelica lege Apostolis tradita, quorum deinceps in omnem terram, hoc est in omnem Ecclesiam sonus exiuit. pro quibus Patribus nati sunt Ecclesiæ filii, qui eam, & scriptis, & moribus, & sanguine roborarunt. Doctores simul uerbis, & exemplis, qui omnes mundi principes posthabuerunt, & contempserunt, solum Deum timuerunt. Ex his ergo patribus, quos ad constituendam Ecclesiam Christus elegit, Petro traditus est principatus, id quod & in cœlo & in terris, & in omni bene instituto conuentu necessarium est. Primus in ordine Petrus a Christo uocatus est, quem petram fundamenti Ecclesiæ nominauit & statuit, cui præcipue triplicata asseueratione ut suas pasceret oues, iniunxit. pro quo Saluator ipse se Deum rogasse testatus est, ut eius non deficeret fides, cui etiam ad se conuerso mandauit, ut alios in fide firmaret. hoc enim illi primum, & præcipue incumbere uidebatur, in quo Christus fundamentum fidei & nomine, & re statuisset. Petro sane ad littus maris proficiscenti idem Saluator, mitte, inquit, hamum, & salientem tibi primum piscem tollens, aperiens os eius inuenies staterem, hunc dabis pro te & me. Magna proculdubio

hæc quoq; dignitatis prærogatiua cenſenda eſt, ut Chriſtus Rex cœli, & terræ, qui ſecundum hominem Auguſto ſubiici uoluit pro ſe tantum, & Petro inter cedente tāti miraculi occaſione indiuiſum tributum ſolueret, ſolus Petrus calcante maris undas Chriſto e nauicula proſilit Chriſti dextra ſubleuatus. Huic er/go Claues dedit, quibus iuſte, ac recte ligaret, & ſolue ret, quem ſolum, cum ſurrexiſſet a mortuis, nomina/tim Petrum dici uoluit non contentus cōmuni nomi natione Diſcipuli. Ite, inquit, dicite diſcipulis eius, & Petro. Hæc omnia ex Euāgelica recitatione collecta, dignitatis, & præminētiæ prærogatiuæ ſunt, quæ ex diſpenſatione diuinæ bonitatis, idem præſeferunt in Simone Bariona, qui mutato nomine uocatus eſt Pe/trus, in quo fundata Eccleſia nō cecidit, ſed ab omni torrente hæreticæ prauitatis incōcuſſa perſiſtit. Ec/cleſiæ autem malignantiū, impiorumq; conuenticu/la, quæ ſuper hanc petram fundamentū non habuere, impetum fecit in ea fluuius, & confeſtim ceciderunt, & irreparabili ruina prolapſa ſunt. omnes enim hære/ticorū pſeudoeccleſiæ prius inter ſe multis ſciſſuris diductæ tandem in Maomethanici furoris tenebras inclinarunt. nam & Arrhii, & Sabellii, & Neſtorii, ac Macedonii conuenticula, quia ſuper hanc electam a Chriſto Petram firmari noluerunt, ceciderūt, & cor/ruerūt, ſed Romana proculdubio Eccleſia Petri Apo ſtolorū principis ſanguine conſecrata ſuper petram, quæ a Chriſto electa, & poſita fuerat, iactis funda/mentis immota permanet. Non ſcinditur in re fidei,

licet aliquando in humana infirmitate fluctuet, atque agitetur, neque Christianorum populorum, & principum mutua inter se odia, neque successorum Petri studia a testamento plerunque Christi Saluatoris aliena, plena turbinibus, plena seditionibus, plena perditis, ac pessimis exemplis iactum a Christo fundamentũ inuertere potuerunt, quoties per diuersa tempora in hoc ædificium irruit fluuius, & insolenter impetum fecit torrens iniquitatis, & abstulit eius apparatum, ac spolia, ædificium uero immotum, inconcussumque ex fundaméti sola uirtute seruatũ est. Quid mihi o Græci sacerdotes ex latinis etiam historiis nefaria scelera, & perditos mores Romanorum Pontificum (quoties de hac re mihi sermo uobiscum interuenit) accumulatis? fuerunt hæc hominum uitia non dignitatis, quæ imputari sedentibus, non sedi debét. An ego nũc a Senatu Veneto Cretæ huius uestræ insignis prouinciæ potius, quam insulæ Dux constitutus si (id quod auertat Deus) minus uobis & iustus, & cõstans sim, & contra Dei & Senatus mei professionem neque in ueritate, neque in mansuetudine, neque in iustitia uobis præsim, ob id non me Cretæ Ducé existimabitis? Imputanda sunt hominibus, non dignitatibus uitia, ideoque catholica, & recte instituta Ecclesia Christum Saluatorem nostrum etiam in malis Pontificibus uenerata est, quibus non succéset, aut indignatur, sed honorem præstat, & tolerat, & siue boni, siue mali sint, pro eis quotidie atque incessanter Christum rogari uult, non ut auferantur, non ut mutentur, non

ut pereant, ſed ut det illis uerbo & exemplo, quibus præſunt, proficere. Hoc autem nihil aliud eſt, quam rogare, ut petra Eccleſiaſtici fundamenti cum toto ædificio inconcuſſa ſeruetur. dixit enim Chriſtus in Euangelio, Irruit fluuius in domum illam & non potuit eam mouere, fundata enim erat ſuper petrā. Deſinite ergo Græci patres imputare latinis, quod ſedentem in Apoſtolico throno quencūq; Pontificem uenerentur, neq; nobis malas arteis, & uiolentas, ac mercenarias electiones obiicite. Tales nos Antiſtites excipimus, quales nos Chriſtus habere uult, ad quem, ſiquid indigne patimur, prouocamus, in iis præſertim, in quibus diuinæ, non humanæ poteſtatis uicem gerit. Fuerunt ſane per diuerſa tempora & in orientali, & in occidētali Eccleſia ſchiſmata, & turbines, & præterea mores Antiſtitum perditi, ac peſſimi, ab omni Chriſti profeſſione penitus abhorrentes, quæ proculdubio Chriſtus mala cuncta præuidit, atq; prædixit, quæ non debemus Chriſto, neque eius dignitati, ſed noſtris criminibus, ac malis meritis imputare. abūdabit (inquit) iniquitas, refrigeſcet charitas, quæ in uobis Græci patres (ut loquar libere) non tantum mihi refrixiſſe, ſed penitus gelu quodam falſæ ſuaſionis obdurata eſſe uidetur. Nonne aduertitis, quod hæc ipſa, quæ Romanæ Pontificiæ ſedi per conuitia, & contumelias obiicitis, nihil aliud ſunt, quam fluxus & impetus eius fluuii, de quo Chriſtus dixit in Euangelio. facta autem inundatione impetum fecit in domū illam fluuius, & non potuit eam mouere, quia ſuper

petram erat ædificata. non dixit Christus non uentu/
ram tempestatem, non futuram inundationem, & im/
petum fluminis, etiam in hoc a se fundatum ædifi/
cium non uenturũ, sed his superuenientibus id incon
cussum, atq; immobile futurum. Petri quoq; Nauicu/
la, eademque in primis Christi, sæpe agitata flucti/
bus est, & impulsa procellis atq; turbinibus, nũquam
tamen demersa est, sed semper euasit tempestatem.
Petra ergo fundamenti, irruentibus malis hominum
studiis, malis artibus, malis moribus non concussa, nõ
ablata est. Certauerunt inter se studia nequitiæ, & in/
firmitatis humanæ, fide Christi incolumi, quæ licet
actu, & opere sæpe defecerit, deficiatq;, habitu tamen
& facultate non deficit. quæ si seruata non est in toto
corpore, seruatur in partibus, si aliquando defecit in
capite, permansit in membris, neq; ullus unquam Ro/
manus Pontifex adeo potuit esse peruersus, & disco/
lus, ut Latini, atq; occidẽtalis uniuersa Ecclesia hac in
parte a fide recta aberrare uoluerint, ut Petrũ & Apo
stolorum principem, & uerũ Christi uicarium in om/
nibus Ecclesiis, in toto terrarum orbe non crederent.
id quod uos nunc ambigitis, & in contentionem uer/
titis, ne Romanos eius successores Pontifices prima/
tum Ecclesiarum tenere, fateri cogamini. Sedeant in
sede Petri, boni, & mediocres, & mali & perditi, mo/
do nõ sint hæretici, & a Christi fide, professione men
tis alieni, Sedes una, & prima in Apostolica dignitate
creditur. quam sequantur oportet qui Christum se/
quuntur, ne in ædificio alio se recipiãt, quod a solido

petræ fundaméto deficiens præcipitetur, & corruat. quale fuiſſe animaduertimus Neſtorii, Macedonii, Eutychis & Macarii, qui repudiato fundaméto Romani & Catholici culminis cum eorũ male ædificatis Ecclesiis, ruina irreparabili conciderũt, in ea quaſi clade permiſti, cum qua Draco ille tertiam partem ſtellarũ traxiſſe legitur. Sed quid ego nunc Græci Patres de hac ueſtra orientali Græca Eccleſia dicã? in qua procuIdubio de Chriſto Saluatore noſtro ſana, & recta ſentiuntur, ſed in eius fundamento neſcio quo pacto electa a Chriſto petra concutitur, labat, & in ruinam prominet. Petri ſedem non agnoſcit, non ueneratur, odio, & falſa ſuaſione proſequitur. Phocianas uiperas in ſinu gerit, ſemina diſcordiarum, & diſſidii fomites nutrit, occaſiones non ſolum obuias amplectitur, ſed exquirit, & excitat, intercedentibus iis, qui ſe Catholicos nũcupari nolũt, a Romana Eccleſia ſe prorſus abiungit, & Petram fundamenti, de qua diximus, modo remouet, modo reponit, dũ toties recóciliata nouis ſemper crabronibus irritatur, & Dei poteſtati cum magna ſui iactura reſiſtit. cum ſic ergo in huius ueſtræ Eccleſiæ ædificio Chriſti Petra tranſlatilis ſit, non firmata, non ſtabilis, non mediocri facta iã ſciſſura dehiſcit, & prominet in ruinã, niſi Dei gratia & clementia ſubleuet. proh dolor, Conſtãtinopolitana illa ſedes ueſtra quo deuenit? ſedes tanti nominis, tãtæ dignitatis, cuius pclariſſimũ illud téplũ prophanis pedibus calcat, ſeruit pphano cultui, quæ Chriſto dicata eſt, Patriarchalis illa ſedes, quæ Romanũ Pontificẽ

ſucceſſorem Petri, & Chriſti uicarium modo negat, modo fatetur, modo ambigit, uas prope facta eſt in opprobriũ infidelitatis. luxata iam in eius fundamento petra, & pene conuulſa eſt. ædificium quatitur, & pene tendit in præceps. nunc a ſacerdotibus ueſtris Patriarchalis dignitas a Maomethanico Imperatore facta licitatione indicatur, & emitur, & hos Patriarchas, atque Antiſtites Chriſti Eccleſiæ nũcupatis? quos elegit Sathanas. iſtos plebs ſtupida, & ĩ ſuis erũnis attonita, & ueritatis ignara a Deo electos exiſtimat? his obſequitur? his omnem fidem mancipant? & cum ſua libertate tributariam etiam Chriſti fidem, & captiuam tenent? Propterea fortaſſe tolerabiliorẽ eorum impudentiã exiſtimauerim, qui ſub infideli tyrãno inuiti degunt, ſed qui dei clementia ab eo iugo ſeruitutis liberi ſunt, minus uenia digni ſunt, in maius crimen incidunt, & grauius iudicium expectant. Quæſo Græci patres quid mihi Nicænũ ſymbolũ in ſecunda Cõſtantinopolitana ſynodo ampliatum ſemper extollitis? & in ueſtram de ſancti Spiritus proceſſione ſententiã, uelut quoddam fidei uexillum explicatis? hoc quoq; nos excipimus, laudamus, extollimus. Atqui nonne in eodem ſymbolo & credere & adhærere catholicæ Eccleſiæ iubemur? quænam, aut ubi eſt iſta catholica Eccleſia, quam membra habere conceditis, & caput habere recuſatis? profecto ſi habet membra, caput habeat neceſſe eſt. labãt enim, neque cõſiſtunt membra ſine capite. Vbi quæſo in Græcia eius caput? ubi membra? ubi corpus? an uero dicet

quiſpiam

quiſpiam hanc eſſe uniuerſalem Chriſti eccleſiam, cuius caput, & princeps a principe infidelitatis, a perſecutore Chriſtiani ſanguinis eligitur? ſeu potius a Belzebub principe dæmoniorum? Hanc ne uniuer/ſalem Chriſti Eccleſiam uocabimus, in qua Clerus, & ſacerdotes nuncupari ſe Catholicos nolunt? quia ſe/des Romana catholica eſt. Hanc ne uniuerſalem Chti ſti Eccleſiã eſſe dicemus; quæ in paucis regionibus, atq; inſulis Græciæ coarctatur, plena hiatibus, plena ſciſſuris, derelicta a ſpirituſancto? cuius uera dona iam in ea populata, & extincta ſunt, ubi iam in ea eſt ſtu/dium ſapientiæ, ubi cognitio Theologiæ, ubi doctri/na ſacrarum ſcripturarum, ubi dogmata Chriſtianæ religionis? pro dolor, illiſus eſt in eam fluuius, & facta eſt eius ruina miſerabilis, quia Petram illam a ſuo fun damento dimouit, quam ſuæ domui fundamentum eſſe Chriſtus uoluit. Reſipiſcite ergo Græci Patres in bonam, & dignam Chriſto mẽtem, ueſtros animos reuocate, ueram cathedrã oecumenici Paſtoris agno ſcite, quem unum omnium, & primum Chriſtus inſti/tuit Petrum, petram ædificatæ fidei, cui principatũ Eccleſiæ & claues contulit aulæ cœleſtis, quẽ in Ro/mano ſolio cũ ſuis ſucceſſoribus ſedere uoluit, ut in eo faſtigio poſſet cõſpici dignitas Chriſti, in quo to tius orbis imperium excelluit. in quo myſtice tem/poralis dignitas ſpiritalem proculdubio præmõſtra/uit, in quo ad hanc diem orbis terrarum Imperatores, & principes uero cœli & terræ creatori, ac humani ge neris Redemptori noſtro colla ſubmittunt, & zelo

Religionis, ac fidei ſedentem in eo legitimum Petri ſucceſſorem in Chriſto colũt, & uenerãtur. Sane uero non immerito ibi prima Petri ſedes colitur, ubi cru/cifixus eſt Petrus, ubi capite truncatus eſt Paulus, ſub/ortis mox nouo miraculo tribus in arido ſolo fonti/bus, quæ ad hãc diem uſq; ſcaturiũt. ubi infinita pro/pe ſanctorum Martyrum cadauera Chriſti fidem ſuo teſtimonio firmauere. ubi maxime Chriſti profeſſio ab impiis perſecutoribus crudeliſſime cõculcata eſt. ubi tot tormenta, tot cædes, & tam grandis effuſio ſanguinis Chriſto dicata eſt. ubi tot Chriſtianorum mancipiorum manus attritæ ſunt, aliæ ad fodiendam arenam, aliæ ad extrahendos & incidendos lapides; aliæ ad importandam materiam, aliæ ad ſecanda, ac polienda marmora condemnatæ. ex quibus falſæ reli gionis, & dæmoniorũ templa, & perſecutorũ Chriſti balnea, & palatia enituerunt. quibus omnibus non multopoſt Dei iudicio lapſis euerſiſq;, Chriſto, & ſanctis Martyribus rediuiuo opere tẽpla dicata ſunt. In eo potiſſimum loco triumphalis Chriſti ſedes po/ſita eſt, ubi in primis conculcata, & deuicta gentium idola, ubi Deus potentes de ſede depoſuit, & humi/les exaltauit, ubi Chriſtus princeps pacis, & manſuetu dinis pater futuri ſæculi Petrum ſucceſſorem, & Vica rium quaſi in orbis terrarum ſpecula promulgauit. Sed uideo uos hoc loco Græci patres inſurgere, & quod mihi ſæpe obiicitis, renouare, nõ fuiſſe dignos pleroſq; poſt Syluestrum, Pontifices ſceleribus, & cri minibus obſeſſos, qui in tanta ſede conſpicerentur.

Quid mihi in idem reciditis? non Chriſto, nõ Petro, nõ eius ſanctiſſimæ ſedi, ſed humanæ infirmitati ſuc/ cenſeamus, ſuccenſeamus nobis ipſis, orientali dico, & occidentali Eccleſiæ. ſuccenſeamus iniquitati no/ ſtræ, iraſcamur aduerſum delicta noſtra. culpa omnis contaminati, & infecti ouilis eſt, quod fortaſſe non meruit meliores habere Paſtores. Nam & diuino iudi cio in populos hoc pacto mala circumagi, & debac chari permittuntur. Eſaia Propheta adſtipulante, cum ait. Conſtitutam adoleſcenteis principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, & concidet popu/ lus, uir ad uirum, nihil autem refert moribus, an æta/ te adoleſcentem haberi. nam ſenilis morum adole/ ſcentia deteſtabilior eſt, & ad ſubiectos populos lon ge perniciosioris exempli plurimorũ cauſa malorum eſt. Chriſtum ergo Græci Patres Saluatorem noſtrũ, qui, & in infantia, & in adoleſcentia, & in iuuentute præ ſe tulit uenerabilem, & diuinam ſenectutem, una/ nimiter, ac ſuppliciter ſimul Græci, ac Latini prece/ mur, ut Chriſtiano gregi ſimilem ſibi (quantum fieri poteſt) & dignum ſe Vicarium uobis, & nobis inſti/ tuat, & qui orientalis etiam magis quam occidentalis Eccleſiæ curã habere uelit, præſertim infelicis huius ueſtræ Græciæ, ut det illi non ſolum recta, ut facit ſemper de Chriſto ſentire, ac ſapere, ſed ut de carne ueſtra cor lapideum auferat, & cor carneum reponat, & charitatis ſuæ gratiam in ſancto eius ſpiritu largia tur, ut ſicut de Chriſto ſana, ac recta ſapitis, ita in ſede a Chriſto dicata Petrum œcumenicum paſtorem,

& successores eius ueneremini, ut Deus idem & Do/
minus noster Iesus Christus in ea semper summos
Pontifices constituat, atq; instituat, non quales deben
tur peccatis nostris, & uestræ in hac parte pertinaciæ,
& (quod inuitus dico) apostasiæ, sed quales Paulus ad
Titum Cretensem Antistitē scribens cōmendat, & in/
struit, id quod sæpe Græci Patres pleriq; ex uobis in
conuitiū Romanorum Pontificū adducūt, dum in alie/
nis oculis festucā, in propriis trabem non inspiciūt, &
inflatis buccis, atq; elato supercilio hæc ipsa uerba
Pauli Apostoli proferunt. Oportet Episcopum esse,
sicut Dei dispēsatorē, non contumacē, non iracundū,
non uiolentū, nō percussorem, non turpis lucri cupi/
dum, sed hospitalē, benignū, prudentem, iustum, san/
ctum, continētem, & reliqua. Non dissentimus hac in
parte uobiscū Græci Patres, & talem in omni Eccle/
sia proculdubio esse debere Episcopū affirmamus,
siue ea Græca, siue Latina sit, siue in oriēte, siue in oc/
cidente constituta. hæc præfinitio, hæc uitæ norma
omnibus Episcopis conuenit, hoc uelut in albo Epi/
scopali, uelut Prætorio edictū proponitur, præser/
tim summis Pontificibus, qui tanto amplius lucere
debent, quanto magis sunt in candelabro altiore con/
spicui. Rogemus igitur iterum atq; iterum, & enixis
precibus obsecremus, ut tales nobis semper Deus
Pontifices tribuat, quales Pauli uerbo cōmendantur,
quales ipsi fuere Petrus, & Paulus. quorum licet alter
negauerit, alter persecutus Christum sit, alterum ta/
men Petram Ecclesiæ, alterum Doctorem orbis ter/

rarum,& gẽtium omnium fuiſſe,non negamus.Quod ſi tales non habentur interdum Pontifices ſummi, quales Eccleſiæ immaculatæ Chriſti ſponſæ debentur,imputetur(ut dictum eſt) ſceleribus noſtris. Non ob id,qui a Deo nobis datur ſummus Pontifex,inhonorandus, aut ludibrio habendus eſt, ſed colendus,& uenerandus. Malus homo non minus homo eſt, quia malus eſt, neq; item Sacerdos malus minus eſt Sacerdos, quia malus eſt. Noe pater ebrius minus pater eſt? ueneranda dignitas,damnandi mores ſunt,neque tam damnandi, quam obtegendi,ut imitemur bonos filios, quorum eſt patris pudenda non detegere, ſed operire.Summus ergo Pontifex o Græci patres non ob id non eſt Pontifex, quia peccator ſit, ſicut neq; alius quiuis ſacerdos, qui ſceleſtus etiam & malus cũ ſit, & manum bonis imponit, & in altari conſecrat,& uere ſacerdos eſt, & miniſter Chriſti, ſicut omnes etiam Græci doctores aſſerunt, præſertim Ioannes ueſter Damaſcenus in libro illo quem περὶ ἀχράντων μυστηρίων, hoc eſt de immaculatis myſteriis ædidit. Summus ergo Pontifex ſolus Chriſtus abſq; peccato eſt, cæteri Pontifices quamuis ſanctiſſimi, & beatiſſimi propter honorem Chriſti nuncupentur,ſi ſe dixerint abſq; peccato, ſe ipſos ſeducent, & ueritas in eis nõ erit. ex hominibus enim aſſumpti ſunt teſte Paulo Apoſtolo ad Hebræos ſcribente, & dicente, omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus cõſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis,

qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, sic & pro se ipso offerre pro peccatis. solus ergo o Græci Patres Christus summus & supremus Pontifex absq; peccato est, quia non ex hominibus assumptus est. quomodo enim assumi potest, aut eligi ex hominibus is, qui creator hominum est, & uerus Deus? in suo sacerdotio, non rei alienæ minister, sed dominus ac largitor propriæ facultatis, qui se ipsum tradidit pro nobis, simul Deus, simul homo, simul Pontifex, & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sacerdos non temporalis, sed in æternum, & ideo solus absq; peccato, de quo inquit Paulus. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia secundum similitudinem absq; peccato. carnē enim assumpsit, non ut peccaret, sed ut in ea peccatū extingueret, in qua factus homo, ut facilius etiam, & promptius posset hominis misereri. Accedamus ergo confidenter omnes simul Græci, & Latini ad thronū gratiæ sempiterni, omnipotētisq; Pontificis domini nostri Iesu Christi, eumq; effusis ex intimo corde precibus obsecremus, ut misericordiā, & gratiam in opportuno auxilio consequamur, ut & uos & nos dignos faciat tali Pastore, quē petitis, atq; exoptatis, qui non solum & iustus, & sanctus, & continēs sit, quemadmodum pauloante ad Hebræos loquens Paulus, Pontificem esse debere contendit, sed ut idem Paulus ad Titum scribens ait, Is sit, qui amplectatur eū, qui secun-

dum doctrinam, & fidelem ſermonē, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana; & eos qui contra dicunt, arguere, & quia nouerat Paulus non ſolum Paſtoris, ſed gregis officiū. fruſtra eſt enim bonus paſtor, ubi ouile regi non uult, & fruſtra bonus medicus, ubi æger medico obſequi pertinaciter recuſat. ideo ſubdit dicens, ſunt enim multi inobedientes, uaniloqui, & ſeductores, maxime qui de circūciſione ſunt, quos oportet redargui, qui uniuerſas domos ſubuertunt docētes, quæ non oportet turpis lucri gratia. fuerunt enim per ea tempora per omnem Græciam maxime uero Titi Antiſtitis Cretenſis temporibus in hac ueſtra inſigni, & celebratiſſimi nominis Creta inſula immiſti Eccleſiis, inobediētes, uaniloqui, & ſeductores, contra quos Paulus illo Simonidis poetæ Cretenſis antiquiſſimi carmine inuectus eſt.

κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. ideſt Cretenſis mendax, mala beſtia, tardaqꝫ uētre, Neqꝫ tamen hoc dictum paſſim in omneis Cretenſeis putari debet, ſed potiſſimū in Iudæos eo tempore Cretam incolenteis, qui ex circunciſione ſe ad fidē Chriſti cōtulerant, & ideo dixit ſeductores maxime qui de circūciſione ſunt, poſt quæ uerba cōfeſtim illud carmē adduxit. ſed utinam etiam his temporibus eiuſmodi morbo prorſus Creta ueſtra careret. ſunt enim (id quod inuitus cogor dicere) Græci patres ex ſacerdotibus ueſtris nonnulli ſeductores, qui ea, quæ in fide ſana non oportet, profitentur, & ſuadent, & amorem, atqꝫ unitatem Eccleſiarū odio proſequuntur; Sedem

Petri, de qua tot diximus, non solum primam abne- gant, sed conuitiis & blasphemiis insequũtur, contra Latinos semper latrant, & simpliciores in odia, & di- scordias excitant. Rogemus ergo Christum, ut talem Pontificem habere possimus, qui non solũ fideli ser- mone potens sit, istos homines in doctrina sana exhor tari, & arguere, sed qui tandem misereatur oriẽtalis Ecclesiæ calamitatis, & compatiatur iis, qui ignorãt, & errant, qui nullum neq; in Petro Apostolo, neq; in Romana sede præminentiæ dignitatem esse conten- dnnt, neq; se se illi subdi ullo pacto uolunt. sed con- tumaces, ac refractarii pugnis aerem uerberant, & cõ- tra stimulum stulte calcitrant. Pro quibus etiã in pri- mis rogandus est Deus, ut cõuertantur ad cor, ut sum mus Pontifex eorũ inscitiæ, & inobedientiæ non re- miniscatur, malũ pro malo non reddat, sed pro iis, & pro nobis, et pro se ipso sacrificium offerat Dro, ut duritiem istorum cordis emolliat, et ipse etiã depo- sitis, ac solutis humanæ infirmitatis fasciculis depri- mentibus, præter honorem, quem Christi Vicario de bemus, suo etiam merito, ac uirtute sit uenerandus, & Christi in primis clementiam, ac mãsuetudinem imi tetur, sitq; pro calamitate Græciæ, & pro multorum errore solicitus, & sedens in Christi solio, animarum salutem sitiat, quã Christus sitiuit in cruce. Rogemus Deum, ut talis nobis detur Pontifex, qui non in con cupiscentia humana, nõ in diuitiis temporalibus, sed in potenti manu Dei Græcam Ecclesiam de manu in fidelis lupi, ac latronis eripiat, eamq; a seruitute libe- ret, quæ

ret, quæ culpa sua fortasse patitur, & in qua bonis omnibus corporis, & animæ spoliata é. Rogemus, ut talis nobis detur Pontifex, qui captiuitaté Christiani gregis, cuius magna uestra pars est, a tyrannide atque oppressione uendicet, & occidentalium populorum, ac principum pace composita, ad miseram ouium oppressarum (ne dicam amissarum) calamitatem uertat animum, uendicet Christianum sanguinem, qui toties nostris temporibus, & super terrã, & super maria effusus est, liberet Orientis Ecclesias, & labantem sub earum fundamentis Christi petram instauret, atque cõfirmet, ut eas demum opprimere desinat per uim, & potentiam Maomethanicus Pharao, & per uoluntariam cordis duritiẽ perditus Sathanas, qui uobis hanc a uero Pastore apostasin, & defectionem suadet, & stimulis agit, excitat, irritat, ut semper magis aucto fomite discordiarũ, uestra liberatio aut omnino impediatur aut prorogetur. Profliganda est igitur, Græci Patres, hæc contra Apostolicam sedem suasio pertinax, quasi per manus tradita, & collocanda in arce rationis, & ueritatis omnis cogitatio, ne dum conterraneæ opinioni obsequitur, periculum forte sit, ne in maius crimen incidatis. Nam si Romano Pontifici obedire nõ uultis, ne hac in parte etiam cum Latinis, & Occidétalibus sentiatis, cauete ne Christianos quoque uos non esse probetis, quia Latini Christiani sunt, & quia Christum in Petri successoribus uenerantur. Profecto illud uerissimum est uetus adagium, ut in corporibus, sic in Imperio grauissimum esse morbũ,

qui a capite prouenit,& cōponi ſolere ad mores prin cipis omnem ciuitatem. & ideo illud inter cætera in noſtris Latinis Eccleſiaſticis legibus ſcriptū eſt. Om/neis,qui Chriſtianis plebibus præſunt,dignos eſſe tot mortibus,quot ad ſubditos perditionis exēpla tranſ/mittunt. Non negamus plurima in occidentalibus Ec cleſiis haberi,quæ & emendatione, & reprehenſione digniſſima ſunt,quibus utinam etiam Oriētales Eccle ſiæ ueſtræ carerent. paſſim in quouis genere hominū humana peccata craſſantur, quæ emendari poſſunt, prorſus tolli non poſſunt, & optime deciditur cū iis diuina clementia,qui non boni, ſed minus mali dici poſſunt. Vtinam non eſſent illa nimis omnibus cōmu nia, & noſtris, & ueſtris incommoda,quæ plus turpi/tudinis,minus perniciei, plus infamiæ, minus culpæ afferre dicūtur. Sed illa,o Græci Patres,nonnullis ex ueſtris nimis facilia,nimis prompta, nimis etiam pe/culiaria ſunt,dum Caput Eccleſiæ negant, aut negli/gunt, Dei ordinationi reſiſtere,Euangelicis authori/tatibus contradicere,& Sanctorum, ac doctorum pa/trum decretis,atque ſentētiis aduerſari. Legi ego hic apud uos permultas ueſtras hiſtorias,alias grāmatica, alias uulgari græca lingua conſcriptas,a temporibus Gratiani, & Theodoſii,uſq; ad tempora Michaelis,& Baſilii,quaterdecies excitata diſſidiorum incēdia ſunt ſemper fere culpa nonnullorum Conſtantinopolita/norum Antiſtitum,qui eos fomites nutriebant, ut au/ctis per uarias occaſiones diſſidiis,Græca Eccleſia Ro manæ nō cederet, & noua Roma Veteri debitos ho/

nores non impenderet. Nolo uobis historias recēsere, præsertim, quod satis superque in iis libris quatuor, quibus abūde uobiscū nuper de Spiritus Sancti processione disserui, multa recitata sunt, ex quibus pariter liquet subinductas semper a multis Constantinopolitanis Pontificibus occasiones, ut Latini cum Græcis diuersa sentire uiderētur, ut separata unitate Ecclesiæ Catholicæ, ipsi in oriēte separatum primatum Ecclesiarum constituerent, immemores eius Christi sententiæ, dicētis, Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Hæc ambitio plurima mala simul coaceruauit, ut in processione Sancti Spiritus, dum nos eum a filio, uos per filium procedere dicitis, idē per diuersa uerba sensus expressus, diuersitatem fidei inducere crederetur. inde azimi, fermentatique panis altercatio maxime superuacanea, quasi aptus sacrificio panis uterque non sit, sicut uinū idē in sacrificio cōuenit, & quod statim prælo emissum in cado est, & quod in lacu cum racemis uinaceis suo pariter calore concoquitur. Hinc de igne purgatorio, de animarum statu dissensiones augentur. Quibus malis omnibus ansas præbet ambitio, de qua supradiximus, ut inter uos non solum de his omnibus, sed de hoc ipso Romanæ Ecclesiæ principatu (de quo nunc nobis sermo est) uaria, & diuersa sentiatis, neque uobis ipsis plerunq; constet, quid sentire debeatis. eius rei causa est error affectatæ opinionis, uariis diuerticulis inuolutus, quæ ut a ueritate plurimū aliena sunt, ita in maxime deuia, & diuersa uos retra

hunt. ueritas enim, ut in uulgato prouerbio est, non habet angulos, recta est, nuda est, æqualis, aperta, sibi ipsi consona, unam dūtaxat in eadem re sententiam enuntiat. mēdacium altera ex parte obliquis, & implicitis, & inæqualibus, & obscuris, ac sibi ipsi contrariis latibulis nitit̄, & uelut Protheus, aut Camæleon, nunc faciem, nunc colorem uariat, & mutuatur. ideoq; eloquētissimus, & sanctissimus ille Chrysostomus; mēdaciū, inquit μυρίοις παραπετάσμασι συσκιάζεσθαι. hoc est mille uelamentis umbrari. ueritatē uero γυμνὴν προκεῖσθαι πᾶσι τοῖς βουλομένοις αὐτῆς τὴν ὥραν περισκοπεῖν. idest nudam se proponere omnibus suā pulchritudinem inspicere uolentibus. Ex quibus euenit, Græci Patres, inter ueſtros Sacerdotes, & Monachos ista contentio, ut in eadem re diuersi diuersa proferant, quos dum ego sæpenumero percunctari soleo, quid tandem de Romanæ sedis dignitate sentiant, nonnulli stupent, torpent, Euangelio, Apostolis, Sanctorum patrum authoritatibus, synodorum decretis, constitutionibus Imperialibus, obturant aureis, & uelut aspides surdæ non audiunt, ob id solū sedis Apostolicæ principatui detrahūt, quia Romæ & ī Italia, non Byzantii, aut in Græcia conspicuus est, hæc autem doctrina multorum plebi addictorum est, qui Sacerdotes cum sint, aut Monachi, multa in sacris lectionibus, dum nihil intelligendo legentes negligunt, & quasi legentes non legunt, sic etiam audientes non audiunt, & diuersa sentientes diuerso opinionis errore falluntur. præcipua autem horum professio est,

odium Latini nominis.horum religio eſt inter utran
que Eccleſiam nutrire diſcordias, & rudes, ac ſim/
plices contra Romanam Eccleſiam irritare. hi ſunt,
de quibus ait Paulus Apoſtolus, inobedientes,ua/
niloqui,ſeductores,qui domos omneis inuertunt,do/
centes ea, quæ non oportet. Alii, paucos nonnullos
ex Romanis antiquis Pontificibus recipiunt, & ueros
uniuerſalis Eccleſiæ Paſtores fuiſſe non negant, pu/
ta Syluestrum, Leonem, Gregorium, & cur hos non
recipiant, quorum uſque in hanc diem feſta, & ce/
rimonias celebrant? & in eorum officiis ſummos
orthodoxæ fidei Pontifices καὶ τῆς ἀποστολικῆς ἐκ/
κλησίας κορυφαίοις προέδροις concinunt? Alii & Ec
cleſiaſticæ hiſtoriæ ueritate, & Sanctorum Græco/
rum authoritatibus uicti, principatum Eccleſia/
rum Romano Pontifici tribuendum eſſe non negant,
& Petri ſucceſſores recte dici confitentur. Principa/
tum autem hunc, in ſolis Eccleſiaſticarum litium iu/
diciis contineri dicunt. puta ſi altera quæpiam par/
ticularis Eccleſia,cum altera de re ſpiritali tantum
litiget, prouocationem ad Romanum Pontificem
recte haberi. quæ præter hæc aguntur, non eſſe
Chriſtianæ inſtitutionis, ſed profeſſionis tyrannicæ,
quæ ob temporalis poteſtatis ſtudium,ſpiritalium
rerum ordinem, & curam inuertat. damnant præ/
terea, & pro hæreticis cenſent eos, qui de pleni/
tudine poteſtatis Romani Pontificis non ad uerita/
tem, ſed ad gratiam, & aſſentationem conſulue/
runt, atque ſcripſerunt. Alii poſtremo cum iis, quos

primo loco attulimus, fere ſentientes Romanam ſedē aliquando legitimam, & primam in toto terrarū orbe extitiſſe affirmant, ſed propter ingētia præteritorum Pontificū ſcelera, & quia Romani Pontificis electio iam a multis annis non fuerit libera, ſed modo armis, ſæpius pecuniis, ſymoniaca prauitate aptiſſime corrupta, amiſiſſe prorſus omnem principatus Apoſtolici prærogatiuā, & dignitatē. Atq; hæc fere uulgatior inter uos opinio eſt, quæ ipſa quoq; falſiſſima eſt, ut mox oſtendemus. Sic ergo in his errorum diuerticulis Orientalis Eccleſia tumultuatur, & ſcinditur, quia relictis Sanctorum Patrum inſtitutis ſeſe uulgus in ea re facit iudicem. ſequiturq; id, quod a Marone dictū eſt. σκίζεται ἀντιπάλλους εἰσ σπουδὰς λῆμος ἄληλος. ideſt Scinditur incertū ſtudia in cōtraria uulgus. Sed non uelimus, quæſo, Græci patres, ſapiētes eſſe apud noſmet ipſos, neque apud uulgus. Nam qui inſipientibus ſapientes uideri uolunt, ſtulti ſapientibus uidentur. Primū igitur eos, qui culmen ſedis Apoſtolicæ, quia Romæ, & in Italia celebratur, odio proſequuntur, refellere ſuperuacuū eſt, quinimmo melius, & ſanctius, & Chriſtianæ profeſſioni conuenientius exiſtimo, ut pro eorum inſipientia, & pertinacia Deum rogemus, ut membra capiti conſentiant, & obſequantur, compeſcant iurgia, & contumelias, neq; iterum Chriſtum in ſuis ſucceſſoribus crucifigant, ſed reſipiſcāt, & uideāt in quem transfixerunt. Eos uero, qui aliquos ex Romanis Pontificibus excipiunt, & reliquos reſpuunt, quaſi non & ipſi quoq; cum Syluestro, Leone, & Gregorio

inter Sãctos relati sint, facillimum est conuincere. ui-
deant quam parum sibi constent. Quot enim ante eos
Romani Pontifices fuere, non solum uita, & doctrina,
sed martyrio etiam insignes, post Clementem, & Linũ
usq; ad Syluestri & etiam Gregorii tẽpora. Vana pro-
fecto est de re tã certa disputatio. Prætereo quod in
Oriẽtali Ecclesia sanctissimi, & doctissimi patres, con
traria huic assertioni nõ tam scriptis, quã exemplis, &
re ipsa docuerũt. nã præter eos Romanos Pontifices,
quorum præcipue nũc apud Græcos festis solẽnitati
bus celebris est memoria, nõne post Syluestrũ Iulius,
& Liberius ab Athanasio, Celestinus a Cyrillo, Innocẽ
tius a Chrysostomo, Martinus a Maximo, Nicolaus
ab Ignatio summi & ueri Apostolicæ uniuersalis Ec-
clesiæ Pontifices existimati sunt? hi enim omnes uiri
sanctissimi Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, Ma-
ximus, Ignatius a ꝓpriis sedibus Episcopalibus eiecti,
siue dignitatibus iniquorum perfidia iniuste spoliati,
Romanorũ Pontificũ auxiliis tutati, atq; seruati sunt.
Eos, qui tertio loco principatum Ecclesiarum Roma
no Pontifici tribuendum esse non negant, sed in prin-
cipatu limites & metas statuere uolũt, qua parte prin
cipatum fatẽtur, neq; Euangelicis, & Apostolicis de-
cretis obturãt aureis, laudare summopere & approba
re conuenit, docendi tamen sunt, atq; in Christi chari-
tate admonendi, ne seipsos iudices faciãt Pontificiæ
facultatis, & dignitatis, sanctos, & doctos Patres consu
lant, sacra decreta, & statuta non respuant, eos tantum
audiant, qui de Pontificum Romanorum authoritate

non ad gratiam,non ad assentationem,sed ad ueritatem Christi consuluerunt. Hoc & Latini, atq; Occidétales omnes faciunt, qui non omnia passim, ac temere scripta hac in parte comprobant, sed ea duntaxat, quæ Christianæ fidei restitudini consentire uidétur, sicut neque in Pontificibus ea laudant, quæ mali exépli plerunque sunt, sed ea, quæ a Christiana professione non aliena cẽsentur. Sed quid ad eos postremo loco dicemus, qui sibi ipsis sapientius sentire uidétur, dum aiunt Romanam Ecclesiam principatum quidé Ecclesiarum antiquis temporibus habuisse, sed postea oppressam sceleribus eorum, qui in ea indigne sederunt, præsertim uersa in apertam Tyrãnidem potestate, ueram Christianæ præminentiæ dignitatem amisisse. Equidé libenter ego ab iis mihi explicari uelim, cur Romanam sedem spoliandam, atq; exauthorandã culmine suæ dignitatis putãt, quia in ea sederint Pontifices electi malis artibus, & malis etiam moribus infames, & id quod potissimum obiiciũt, quia in ea aliquando etiam fœmina dolo sedisse dicatur. Constantinopolitanam autem sedem nullam de sua existimatione iacturam fecisse dicunt, in qua sederunt tot hæretici, Nestorius, Macedonius, Eutyches, Macarius, ex qua expulsus Ioannes Chrysostomus, expulsus Ignatius, nolo cætera ꝑsequi. Liquet uobis satis, ex uestris historiis, quanti in ea sæpe turbines fuerint. nolo singulorum scelera recensere, quæ tacenda potius, & obtegenda sunt, quam scriptis etiam referenda, aut promulganda. Culpãtur solũ a Latinis ii, q̃ in ea indigne

sederunt,

ſederunt,& qui ſanctos ex ea uiros ui,& inſidiis expu/
lerunt, nulla ob id dignitas a ſede detrahitur, ſed in
ſua ueneratione ſeruatur, & licet ab infideli principe
Conſtantinopolitanum occupetur imperium,Patriar
chalis tamen dignitas in honore habetur, & colitur,
ſecunda poſt Romanam exiſtimatur, & nouo etiam
decreto augendæ prærogatiuæ cauſa, non niſi Cardi
nalibus confertur,& cæteris bonis extinctis ipſum ta/
men nomen Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ cū omni
præfatione honoris excipitur, & ab occidẽtali Eccle
ſia in ſua dignitate, & ueneratione ſeruatur. Merito
Magnus ille Conſtantinus, cuius apud uos tam cele/
bre nomen eſt,ut etiam in ſanctorum catalogo a uo/
bis poſitus ueneratione dignus exiſtimet̃, quod ipſe
iudicium de ſedis Romanæ principatu fecerit, ſatis
liquet,neque hoc loco uobis trita,& uulgata decreta
referre in animo eſt,in quibus licet nonnulla a multis
addita, & conficta dici ſoleant,illud tamen ex omni/
bus hiſtoriis ſine ulla ambiguitate apud omnes con/
feſſum & certum eſt, poſt maximas, atq; incredibiles
perſecutiones,q; ſub hoc primum principe Chriſtia/
num nomen reſpirare cœpit, & uires colligere, dum
Syluestrum ſummū pontificem Chriſti Eccleſiæ ca/
put agnouit, & coluit tot Romæ cõſtructis baſilicis,
tot honoribus, tot muneribus uiro ſanctiſſimo exhi/
bitis,ut in illo non ſolum principatum Eccleſiæ uni/
uerſalis eſſe uoluerit, ſed fere relicta Vrbe aurum, &
gemmas, & ipſam auguſtalem purpurã Chriſti Vica/
rio ceſſiſſe uiſus ſit, in cuius ſigno hoſtes uicerat, &

liberator Vrbis, ac quietis fundator appellari erecto Romæ eo, quod nunc extat, trophæo meruerit, quãuis deinde infectis sæpius Arriana impietate Constantini successoribus, qui persequi Romanos sæpe Pontifices non destitere, tandem sedes illa augusta, & prima in orbe terrarum Deo iubente, Christi Regis Regum successoribus cessit, & inter multos rerum turbines principatum Apostolicæ dignitatis inconcussa seruauit. Nihil profecto Græci patres, nihil prorsus nouum decreuit Florentina synodus, quæ consentientibus Græcis Romanæ sedi detulit principatum, Cõstãtinopolitanis simul Imperatore, & Patriarcha decernentibus, atque iubentibus, quam synodum, quia multi ex uestris irritante Marco Ephesino Episcopo non exceperunt, pauca uobis afferam ex uestris authoribus fidedignissimis, quorum in cœlis cum Christo triumphus est, & in terris nobiscum æterna memoria. Quos enim ego uobis alios testes afferam, quam eos, quorum dicta sancta, & uera creditis? & quorum merito anniuersaria festa celebratis? prodeat primũ diuinissimus ille Cyrillus, de quo in quarta synodo sic legitur. πιστεύομεν ὡς ἡ ἀιδία τοῦ πατρὸς κυρίλλου μνήμη πιστεύει. καὶ ὁ μὴ τούτῳ πιστεύων ἀνάθεμα ἔστω. idest Credamus sicut æterna Cyrilli memoria credit, & qui huic non credit, anathema sit. hic autem in libro Thesaurorum suorum sic ait, δεῖ ἡμᾶς ὡς μέλη ἐμμένειν τῇ κεφαλῇ ἡμων τῷ τῆς ῥώμης ἀρχιερῷ καὶ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ, ἀφ᾽ οὗ ἡμέτερόν ἐστι ζητῆσαι, τί πιστεύειν, καὶ τί δοξάζειν μέλλομεν καὶ κρατεῖν, ὅτι αὐτῷ

μόνον ἐστίν, ἐλέγχειν, ἐπιδιορθοῦν, ἐπιτιμᾶν, ἐπικυροῦν, διατιθέναι, λύειν, καὶ δεσμεῖν. idest oportet nos tanquā membra manere in capite nostro Romano Pontifice, & Apostolico throno, a quo nostrum est quærere, quid credere, quid opinari, quid tenere debeamus, quia ipsius solum est redarguere, dirigere, reprehendere, confirmare, disponere, soluere, & ligare. Chrysostomus autem ille nitidissimū sydus orientalis Ecclesiæ manifestissime indicat Græci Patres quanto in errore uersentur uestri homines, qui principatū Apostolatus Petro denegant, ne eum quoq; in Petri successoribus fateantur. hic enim super Ioānem Euangelistam in postrema homelia, ubi de Iacobo, & Petro disserit, & quærit, cur Petrum in Hierosolymis curatorem, & Antistitem Ecclesiæ non elegerit, sed Iacobum, sic respondet, εἰ δὲ λέγει τίς πῶς οὖν ὁ ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν ἱερωσολύμων ἐκεῖν᾽ ἂν εἴποιμι, ὅτι τοῦτον τουτέστι τὸν πέτρον τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον. idest, si autem dixerit quispiam, cur Iacobus sedem Hierosolimitanā sit consecutus, illud ego sane asseruerim, quia Petrum orbis terrarum magistrum elegerat. Quod etiam Dionysiii Areopagitæ uiri in doctrina, & sanctitate, ac martyrio eminentissimi aperte ostenditur in libro de diuinis nominibus, utrunq; Apostolum Iacobum scilicet, & Petrum nominat, Iacobum fratrem domini, Petrum uero supremum inter Apostolos uocat his uerbis. παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος ἰάκωβος, καὶ πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, idest aderat frater domini

Iacobus, aderat Petrus ſupremus, & uenerabiliſſimus apex theologorum. Theologos autem Apoſtolos nominat Ioãnes Damaſcenus in uita Barlahã, & Ioaſaph ſanctorũ Indiæ, ſic ait, ἔφυγεν ὁ πολέμιος διάβολος αἰσχυνθεὶς τῇ μετανοίᾳ τοῦ πέτρου. ὁ δὲ κορυφαῖος αὖθις ἦν ὥσπερ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης χειροτονηθείς. ideſt, fugam cœpit hoſtis diabolus Petri pœnitentia confuſus. hic autem ſubinde ſupremus doctor orbis terrarum electus eſt. Idem etiam Damaſcenus in ſermone transfigurationis Chriſti apertius idem explicat dicẽs πέτρον τῇ τοῦ θεοῦ προγνώσει προωρισμένον τῆς ἐκκλησίας πρόεδρον ἐπάξιον. ideſt, Petrũ diuina prouidentia merito præordinatum Eccleſiæ præſidem. cum dixit Eccleſiam, nullã nominatim localem expreſſit, ſed intellexit uniuerſalẽ, cuius proprie πρόεδρος nuncupatur. particularium enim Eccleſiarũ non πρόεδροι, ſed ἀρχιερεῖς, ſiue Epiſcopi dicunt. Sed audite quæſo ſanctiſſimum monachum Maximũ quid reſpondeat Theodoſio Cæſareæ epiſcopo quærenti quomodo in Chriſto duæ naturæ, duæ uoluntates, & duæ operationes poni debeãt. ſic enim loquitur, δέσποτα ἐγὼ οὐ τολμῶ δέξασθαι συγκατάθεσιν παρ᾽ ὑμῶν ἔγγραφον περὶ τούτου πράγματος ψιλὸς ὑπάρχων μοναχός, ἀλλ᾽ ἐπεὶ μετενένυξεν ὑμᾶς ὁ θεὸς τὰς τῶν ἁγίων πατέρων δέξασθαι φωνάς, καθὼς ἀπαιτεῖ ὁ κανὼν πρὸς τὸν ῥώμης περὶ τούτου ἐγγράφως ἀποστείλατε. ego inquit, domine conſcriptam a uobis depoſitionem accipere non auſim, cum exilis ſim monachus. Sed poſtea quã uos compunxit Deus, ut ſanctorũ patrum uoces exciperetis,

quemadmodum canones requirunt, ad Romanum Pontificem de ea re conſcripta remittite, & paulo/poſt ſubdit idem author pro eadem re de Imperato/re, & Patriarcha Conſtantinopolitano loquens ait, ποιήσωσιν ὁμοῦ κέλευσιν παρακλητικὴν, ἢ συνοδικὴν δέη/σιν πρὸς τὸν πάπαν ῥώμης. ideſt, faciant inuitatā con uocationé, ſiue ſynodalem ſupplicationé ad Papam Romæ. Videte quæſo Græci patres quid dicat bea/tus & ſanctus Maximus in uniuerſa Oriētali Eccleſia ob doctrinā, & ſanctitatem uitæ merito decantatus. cujus etiam diſcipulus Anaſtaſius uir ſanctiſſimus, cū Martinum Pontificem nominat, ſummi honoris præfatione utitur, dicens ἄκρον ἀρχιερέα πανάγιον καὶ κορυ/φαῖον ἀποστολικὸν πάπαν, καὶ μάρτυρα. ideſt, ſummum Pontificem & ſupremum Apoſtolicū Papam, & mar tyrem. Sed podeat quæſo Græci Patres ſanctus ille Stephanus, quem νέον appellatis, cuius etiam celebri/tatem uigeſimaſeptima Septembris die celebratis, & eius uitam a Simeone Metaphraſte conſcriptam pro more in Eccleſiis legitis, non ne hic Romanæ ſedis dignitatem contra hæreticos extollit, & ſine conſen/ſu, & authoritate Romani Pontificis conuocatū con cilium de abrogandis imaginibus damnat, nec conci lium œcumenicum ullo pacto uocari uult? nam cum recitaretur eius concilii decretum, & œcumenicum diceretur βεβοηκὼς ὁ ἅγιος στέφανος φησὶν, ὢ τῆς ἀγνοίας, ὢ τῆς ἀτοπίας, πῶς δὲ καὶ οἰκουμενικὴ ἂν κληθείη σύνο/δος, ἐφ᾽ ἧ οὐχ ὁ ῥώμης ἀδόκησε πρόεδρος, οὗ χωρὶς ἀδύ/νατον πάντως τὰ ἐκκλησιαστικὰ, κανονίζεσθαι, ideſt, excla/

mans sanctus Stephanus ait, o ignorantiam, o absurditatem, & quomodo synodus hæc œcumenica uocabitur, quam Romæ præsidens non approbauit. sine quo impossibile prorsus est, res ecclesiasticas regulari. Libet profecto mihi pariter cum uiro sanctissimo exclamare, & eorum inscitiam, atq; absurditatẽ detestari, qui cum hæc ipsa inter diuina officia legant, & recipiant, non animaduertũt, quantum sibi ipsis repugnent, dum contra id sentiunt, quod profitent̃. Nolo Leonis, & Gregorii, authoritates afferre, ne cum ipsi fuerint summi Pontifices, testes eos in propria causa adduxisse uidear, alioquin etiam apud uos utriusq; testimonium fide dignissimum haberi poterat, quando uiros sanctissimos, & Christianæ doctrinæ maximos præceptores Oriẽtalis Ecclesia celebrat, iis que anniuersarios dies festos dedicat non minus quã Latina, & occidentalis Ecclesia. Hos ergo una cum iis, quos supra adduximus, sequamini Græci Patres, iis credite. Qui enim iis non credunt, quomodo in Christum credent? hi sunt, quos Christus uelut angelicæ ueritatis lumina super candelabrum posuit, ut in eorum splendore ambularemus. Hos igitur omni feruore mentis excipite, his adhærete, fugite inobediẽtes, & seductores, & ineruditos in humilitate Christi, qui se Catholicos dici dedignantur, qui nolunt obsequi Vicario Christi, cui reges, & principes colla submittũt, & quẽ admotis ad pedes osculis uenerantur, certam spem fouentes, ut qui se Christi Vicario in terris humiliant, a Christo bonorum omnium largitore in cœlis exal/

tabuntur. Neque uos terreat, quod indigni plerunq; ſint, quibus tantus honos exhibeatur, quia nemo ſuis meritis, ſed diuina uoluntate ad id culmen euehitur. In magnam abyſſum incidunt, qui cauſas explorare nituntur, quibus iudicent, quid uelit, aut quid permittat Deus. Noſtrum eſt diuinæ poteſtati non reſiſtere, ſed obedire. Chriſto igitur hac in parte nos admonente, ſuper cathedram ſedentibus deferamus honorem, & quæ nobis ex eorum officio dixerint, exequamur, ſed ſi mali ſunt, nihil ſecundum eorum opera faciamus.

FINIS.

Romæ in ædibus F. Minitii Calui
Menſe Ianuario. M.D.XXV.